XXIII.

JVRA ANTIQVA CIVITATIS RIPENSIS CIMBRIÆ SEPTEMTRIONALIS VVLGO RIBE BIRCKERET SEV JVRA RIPENSIA TERRITORIALIA LAVDE SEVERÆ LEGIS ET JVSTITIÆ CELEBRATA, SVB AVSPICIIS REGIS DANIÆ CHRISTOPHORI I. A. 1252. D. VIII. CALEND. AVG. LATA, A REGIBVS ERICO VI. A. 1269. ET CHRISTOPHORO III. A. 1443. REPETITA ET AVCTA. E LIBRO ANTIQVO CIVITATIS.

Jura Christophoriana an. 1252. repetita & aucta ab Erico VI. in concilio Neoburgi an. 1269.

I. Anno Dominice Incarnationis M. CC. LXIX. Sexto Kalendas Julii ab illustrissimo Domino *Erico Rege Danorum* Filio Regis Domini Christofori Anno regni dicti Domini Regis Erici XII. hæc jura & decreta in Concilio apud Nyburgh celebrato melioribus Regni in hoc consencientibus Civibus Ripensibus sunt indulta & Domini Regis sigillo confirmata. 1. Quicunque per industriam vel insidias hominem intra nostre civitatis marchiam sine caussa interfecerit capitali sentencie subjacebit. 2. Quicunque in civitate nostra in domo vel vico nocte vel die in facto homicidii non deprehensus fuerit, vicini *duodecim* ex parte utraque ubi factum fuit homicidium coram advocato & consulibus citentur ad discernendum super eodem homicidio & invenire tenentur quis reus sit ipsius mortis. Et qui ex illis XII. discernere noluerint quadraginta markas denariorum componat advocato & civitati quorum denariorum medietas cedat advocato & medietas civitati, sed si illi duodecim in unum convenire non poterint, major pars prevalebit & quicquid juramento suo decreverit ratum & firmatum teneatur. 3. Quicunque hominem interfecerit infra marchiam civitatis nostre morte moriatur nisi se defenderit necessitate vite sue compellente & alio modo effugere non poterit ob periculum vite sue & sic ipsum interfecerit. Cum jura omnia permittunt se defendere & vim vi repellere; si autem de tali homicidio ambigitur utrum per industriam vel insidias fuit vel non, per duodecim vicinos *domicilia in civitate habentes*, ubi perpetratum erat homicidium sciri debeat & judicari. Si autem juramento suo affirmaverint, ipsum defendisse se ex magna necessitate vite sue, *pace sua gaudeat* & vita non privetur. Nichilominus *tria saal & XL. markas* propinquis interfecti satisfaciat & XL. markas civitati & advocato. 4. Quicunque hominem interfecerit infra terminum civitatis nostre, capitali sentencie subjacebit. Si vero fugerit & in facto deprehensus non fuerit, pace sua privetur ubicunque venerit nec occisoris propinqui tenetur heredibus interfecti ad aliquam emendam. 5. Si fur nocturnus domum alicujus perfoderit & interfectus fuerit, nihil pro eo satisfaciat, nec pro fure diurno si se armis defenderit, quia plus est quam fur quia venit occidere & non furari. 6. Quicunque leserit alium ex casu & non voluntarie, non tenetur satisfacere civitati nec advocato sed leso. Qui hominem ex casu interfecerit, pro illo tenetur satisfacere civitati & advocato & heredibus defuncti, & pace sua gaudeat quia voluntarie non fecit. Si autem dubitatur utrum leserit ipsum voluntarie vel non, vel quod contra ipsum deliquit vel cum testibus vel cum vicinis debet convinci vel defendi, Utrum occidit ipsum voluntarie vel non per XII. vicinos ubi lesio facta fuit vel homicidium commissum fuit in communi placito debet discerni & judicari. 7. Quicunque se defenderit ex necessitate & alium a se removerit & contigerit ipsum in continenti ledere actorem, quia licitum est cuilibet vim vi repellere, non tenetur satisfacere civitati nec advocato leso. Si hoc probari poterit per illos, qui presentes fuerunt, quod cause non fuit actor. 8. * Quicunque mulieri fecerit violenciam & convictus fuerit cum duodecim vicinis suis ubi violencia facta fuit, capitali sentencie subjacebit. 9. Quicunque alium domi cum manu armata visitaverit & violenciam sibi fecerit vel domum ipsius fregerit & domesticum vel famulos vel hospites ledere voluerit & domesticus & sui necessitate vite sue se defenderit, & actor ibidem lesus fuerit, quodcunque dampnum inde optinuerit satisfactione careat & emenda. Et actor satisfaciat domestico in XL. marck. denar. & civitati & advocato in XL. marc. pro violencia sibi facta si domesticum vel famulos vel hospites suos non leserit. Si vero deliberato consilio actor & complices sui domesticum vel famulos vel hospites suos leserint quilibet illorum manum suam amittat. Si vero in facto deprehensi non fuerint & negaverint per duodecim vicinos ubi violencia facta fuit debet discerni & judicari & quicquid juramento suo decreverit ratum & firmum teneatur. 10. Quicunque alium cum armis mortiferis vulneraverit, nisi se necessitate defenderit & convictus fuerit cum octo bonis viris *domicilia* sua in civitate habentibus, juris est ut manus ejus amputetur nisi cum consensu lesi per advocatum & consules amicabilis compositio possit fieri inter ipsos. Si lesus voluerit dimittere injuriam suam non tenetur civitas de jure nisi voluerit injuriam suam remittere, nec advocatus nec civitas e converso si advocatus voluerit dimittere injuriam suam. Sic in omni casu debet observari. 11. Quicunque civis ultra quam ad hospicium suum venerit, si negociatus fuisset extra civitatem arma in se portaverit & cum his deprehensus fuerit, dimidiam marcam denariorum componat advocato & tantum civitati. Si hospes fuerit cum primitus ad hospicium suum venerit, reponat arma sua sub custodia hospitis sui si post hoc in se portaverit, componat advocato dimidiam marc. & civitati tantum vel *sola manu in reliquiis* se purgabit, quod nescivit quod prohibitum fuit Domesticus tenetur hospiti dicere quod inhibitum sit in civitate arma portari, quod si non fecerit solvat advocato dimidiam marcam & civitati tantum. Si hospes premonitus nichilominus in se arma portaverit manus ejus cum eodem cultro seu gladio seu lancea transfigatur. 12. Quicunque infregerit, quod civitas servandum decreverit & Consules in unum convenerint, de illo Consules judicabunt & quid compocitionis inde provenerit civitas dimidiam partem percipiet & advocatus aliam dimidiam partem. 13. Quicunque vulneratus suum vulnus in placito ostendens & si concordaverit cum ledente priusquam vicini sui super hoc conjurant facto rei solvat advocato Domini Regis VI. marc. & advocato VI. marc. 14. Si quis corrixando cum alio alium appella-

* in Le 1252. est 4.

in LL. Christophori art. 6.

in LL. Christophori 7.

pellaverit furem sive latronem vel falsarium, perjurum, mortificatorem, spurium, *Leccatorem* seu in civitate sive extra in detrimentum & confusionem & ita esse probare non poterit; satisfaciat illi, cui crimen imposuit 1. marc. civitati unam marc. & advocato unam marc. 15. Quecunque mulieres invicem corrixantur, juris est ipsas per vicos civitatis (sursum & deorsum *per collum*) *lapides bajulare.* 16. Quicunque evaginaverit gladium suum vel cultrum suum ad ledendum alium seu ipsum agitaverit enormiter, si convictus fuerit super hoc cum duobus bonis viris domicilia in civitate habentibus, leso actor componat tres markas denariorum civitati III. markas & advocato III. markas. 17. Quicunque alium cum cultro ledere voluerit & evaginaverit ad ledendum alium cum eodem cultro est manus ejus transfigenda. 18. Quicunque in civitate nostra convictus fuerit de ardua causa ad collum amittendum & clam a civitate fugerit ubicunque venerit & deprehensus fuerit pace sua privetur. 19. Quicunque a civitate nostra proscriptus fuerit pro suis forestis & Civitatem abjuraverit & iterum absque licentia consulum & civitatis redire attemptaverit, si deprehensus fuerit, capitali sentencie subjacebit. 20. Quicunque alium ex deliberato consilio cum tribus vel cum quatuor complicibus baculaverit, ut se domi transferre non valeat componat leso XL. marc. advocato & civitati XL. marc. si cum viij. vicinis suis convictus erit. Si vero exinde moriatur baculatus capitali sententie subjacebit. Sed si in facto deprehensus non fuerit & negaverit per XII. vicinos si poterit se defendat. 21 Si inter duos in vico vel in platea vel in potu forsan rixa vel discordia subito oritur fustes & baculos ibidem comprehenderint ad alternam & mutuam lesionem & hoc probari poterit per duos viros domicilia in civitate habentes, vel per bonos viros alios, qui hoc viderunt & presentes fuerunt, quod non factum sit ex deliberato consilio, sed ex quodam impetu, actor leso VI. marc. denariorum componat civitati VI. marc. & advocato VI. marc. Sed si poterit probari per bonos viros domicilia in civitate habentes, quod prius discordia inter ipsos erat & alter alteri posuerat insidias cum tribus aut cum quatuor & sic ipsum leserat. Si lesus morte evaserit, actor leso XL. marc. denariorum componat. Si negaverit & deprehensus non fuerit per XII. vicinos suos se purgabit. 22. Quicunque alii dederit alapam manu irata vel sine merito in platea vel in vico vel ubicunque in civitate fuerit alium enormiter truserit, si poterit probari per bonos duos viros qui presentes fuerunt, actor componat leso tres marcas & civitati unam marcam & advocato marcam. Si negaverit & in facto non deprehensus fuerit sola manu reliquiis se purgabit. 23. Si quispiam legitimam uxorem in civitate nostra duxerit & alibi prius aliam habuerit illamque reliquerit, si postea de hoc convictus fuerit, *posteriori renunciabit* & nichil de bonis uxoris posterioris participabit, sed de civitate precipitabitur & ob nequiciam facti dimidiam substantiam civitati & advocato componat. 24. Si quis de civitate nostra alicui legitimam uxorem abstulerit & bona sua, fugeritque de civitate cum illa si postea cum illa deprehensus fuerit, capitali sentencie subjacebit. 25. Si quis de alio conqueritur quod uxorem suam legitimam cum bonis suis sibi abstulerit & cum illa non deprehenditur, debet per XII. vicinos purgari, utrum hoc fecerat vel non si convincitur ubicunque venerit pace sua privetur. 26. Quicunque argentum non dativum produxerit vendendo & monetarius illud falsum esse pronunciaverit, & ille asserit, se illud in venalitatibus suis accepisse, ille pocius quam monetarius ad defendendum se prevalebit. 27. Si quis falsos denarios protulerit scienter & in hoc repertus fuerit, capitali sentencie subjacebit. 28. Si aliquis *bundonum* inscius deprehensus fuerit cum falsis denariis, emendabit civitati unam marcam & advocato unam marcam & sic liber erit. 29. Quicunque deprehensus fuerit juxta *stadh & stapel*, quod falsos denarios fabricaverit, capitali sentencie subjacebit. 30. Si quis cum melle vel ferro falsificato vel cum aliis rebus falsificatis deprehensus fuerit, si sit hospes mercator, debet se purgare cum nautis suis. Si vero civis fuerit & aliquo falsificato deprehensus fuerit debet cum *duodecim suis ex utraque parte* se defendere & purgare. Et si hospes vel civis in purgatione defecerit, capitali sentencie subjacebit & ipsum mel comburi debet & igne concremari. Et hoc idem fiet de cera falsificata & sic de omni falsificato quod perire debet. 31. Si quis habuerit falsum modium & cum de eo deprehensus fuerit emendabit civitati unam marcam & unam marcam advocato & modii fundus extrudetur & modius in foro suspendatur. Simile erit & fiat de pundario falso & ulna falsa & statera falsa. 32. Nullus modius nec aliquis funiculus vel ulna culpari potest nisi comprehendatur in mensura. Si quis vero ex istis duo habet videlicet unum majus cum quo recipit & unum minus cum quo erogat, si cum hiis deprehensus fuerit, sicut fur judicabitur. 33. Si quis cum falsa mensura vini *medonis & cervisie* deprehensus fuerit, solvat civitati unam marcam denariorum & advocato unam marcam denariorum. 34. Si quis justam mensuram habuerit & eam plenam non inportaverit, persolvat civitati oram denariorum & advocato oram denariorum. Si hoc trinis vicibus contigreit cum aliquo & inobediens & rebellis fuerit fundus *Lagene* extrudetur in medio foro & per illum annum vacet & braxare non presumat, nec vinum vel medonem vel etiam cervisiam mensuratim vendat antequam a consulibus & advocato recuperabit. 35. Quicunque citatus fuerit ad veritatem super quacunque causa protestandam & fuerit in falso repertus, emendabit civitati III. marc. denar. & advocato III. marc. denar. & suspendatur a testimonio & nunquam super aliqua causa permittatur testificari. 36. Quicunque alii posuerit insidias nocte vel die & ipsum rebus suis despoliaverit, si convictus cum XII. vicinis suis fuerit, capite puniatur. 37. Si quis alium cathenis, vinculis, compedibus absque licencia consulum & advocati mancipaverit injuste, si convictus fuerit hoc fecisse, cum XII. vicinis suis leso XL. marcas denar. componat civitati & advocato XL. marcas denariorum. 38. Si quis cum furto deprehensus fuerit dimidiam marcam denariorum * valente, *pene suspendit* fur reus erit. Si fuerit estimacio minoris precii *signum furis* sibi infigatur. Si post hoc fur cum furto de-

LL. Christ. art. 14.

ib. art. 15.

ibid. art. 10.

ib. art. 23.

ibid. art. 30.

** seu VIII. solidos.*

prehenſus fuerit minoris vel majoris precii ſuſpendatur. 39. Si quis alii crimen furti imputaverit & nichil ſub eo deprehenderit purgabit ſe cum XII. vicinis ſuis ex utraque parte & ſit liber.
ibid. art. 32. 40. Quecunque mulier pro furto ſuſpendi meretur, *pro honore muliebri* viva tumulabitur. 41. Si aliquis ſui homicida fuerit, quod Deus avertat vel per juſtam ſentenciam decollatus fuerit, heredes ipſius omnem hereditatem ſuam integraliter obtinebunt. 42. Si quis juſta de cauſa pro furto ſuſpenſus fuerit, civitas tenetur habere medietatem porcionis furis & advocatus reliquam medietatem. 43. Si aliquis vir cum legitima uxore alicujus in adulterio deprehenditur juris eſt civitatis, ut ipſe ab ea per vicos civitatis *ſurſum & deorſum* per veretrum ſuum trahatur & ſic de illa cauſa *liber erit*. 44. Si contigerit quod aliquis legitimam habens uxorem in thoro fornicacionis invenerit adulterum & ibidem videlicet in thoro fornicacionis ipſum interfecerit vel ambos, adhibitis ſecum teſtibus, ſatisfactione careant & emenda. 45. Quecunque puella contra conſenſum & voluntatem ſuorum parentum connubium manifeſtum commiſerit voluntarie illicenter privetur tota bonorum ſuorum ſubſtancia. 46. Quicunque alium precipitaverit in aqua ad demergendum illum, componat leſo & advocato & civitati XL. marcas. Si vero in facto deprehenſus non fuerit cum XII. vicinis ubi leſio facta fuit ſe purgabit. 47. Ubi promiſſio aliqua coram conſulibus vel coram illis qui modo ſunt ad concilium deputati facta fuerit & ordinata eadem promiſſio rata tenebitur. Et ſi conſules coram quibus promiſſio facta fuit ad alios conſules aſcenderint, aſſerentes illam promiſſionem eſſe veram & taliter eſſe factam tam per illos qui tunc temporis hoc audiunt quam per illos qui prius hoc audierant promiſſio rata tenebitur. 48. Quolibet anno variandi ſunt conſules ita quod de prioribus quatuor remaneant ad illum annum in illo officio ſecundo vero anno deſtinandi. 49. Si quis deliquerit contra conſules vel procuratores eorum quicquid preter ipſorum meritum verbo vel facto & inde cum duobus bonis viris qui preſentes fuerunt & audiverunt & convictus ex eis fuerit emendabit illud in duplo quam alicui alii homini & preter hoc cuilibet conſulum in reverentiam dimidiam marcam emendabit. 50. Quicunque ordinationi conſulum & advocati contradixerit nolendo ſtare eorum ordinationi emendare debet III. marcas civitati & advocato III. marcas denariorum & nihilominus debet ſtare ordinacioni eorum prius facte. 51. Super quacunque cauſa & ſuper quocunque facto conſules cum advocato in unum convenerint ſine quorumlibet civium vel aliorum proclamacione ratum & ſtabile teneatur. 52. Quicunque in placito clamaverit vel cauſam aliquam ibidem propoſuerit preter licenciam conſulum & advocati emendabit civitati & advocato oram denariorum. 53. Ad quemcunque conſules pro Wydæ recipiendo preconem ſuum miſerint meritis ſuis exigentibus & voluntarie Wydæ non aſſignaverit ſed negaverit emendet civitati oram denariorum & advocato oram denariorum. Si vero conſules pro transgreſſione hujusmodi perſonaliter ierint & vacui redierint perſolvet civitati unam marcam & advocato unam marcam denariorum. 54. Quicunque de conſulibus revelator conſilii extiterit qui dicitur *Rabtsrovær* vel etiam juſtitiam civitatis pro pecunia vendiderit ſi ſuper hoc convictus fuerit precipitabitur de concilio & nunquam conſul efficiatur. 55. Non tenentur conſules citari ad diſcernendum in communi placito de homicidio vel de alio facto quamdiu conſulatum tenent. 56. Quicunque in ſuo proprio aliquid edificat & eventu malo vel caſu nullo procurante de ipſo edificio alicui leſio contigerit ille cujus edificia ſunt leſo nichil penitus tenetur inde reſpondere nec in aliquo emendare. 57. Si quis domum alterius quacunque de cauſa intraverit & ibi a jumento vel pecore vel cane quocunque modo leſus fuerit Dominus domus leſo nichil inde tenetur reſpondere nec in aliquo ſatisfacere. 58. Si pecus vel jumentum vel equus que homini licita ſunt habere aliquem ad mortem leſerit ſit in opcione poſſeſſoris quod vel pecus illud reficiet leſo in emendam vel retineat & emendet leſo IX. marcas denariorum. Et ſi ſimile de eodem contigerit iterato emendet leſo XVIII. marcas & civitati VI. marcas & advocato VI. marcas denariorum. 59. Si cujus pecus alicui vulnus fecerit preter *Læſ.* poſſeſſor aut pecus illud exponat leſo & a ſe dimittat illi vel eidem emendet duas marcas denariorum. Si vero contigerit ſimile de eodem iterato emendet leſo 4. marcas denariorum civitati & advocato 3. marcas. 60. Quicunque alii aliquam rem ſine conſenſu & voluntate ipſius ſurripuerit, ſi convictus fuerit cum duobus bonis viris qui preſentes fuerunt & viderunt ſatisfaciet illi in tribus marcis civitati in una marca advocato in una marca. Si quis aliquam rem habet alicui attinentem & illam illi reddere noluerit ſi tribus placitis legaliter illam exegerit & non rehabuerit teneat illam cum rapina. 61. Si quis de alio conqueritur quod per ipſum dampnificatus ſit debet taxacionem dampni exprimere. Et ille ſi cognoverit ſe ſibi feciſſe dampnum debet ſatisfacere ſecundum eſtimacionem bonorum vel ſi negaverit aut juramento ſola manu in reliquiis ſe purgabit. 62. Si civium forſan aliquis extra civitatem indebite ab aliquo male tractatus fuerit & reverſus moverit querimoniam ſuper concive ſuo quod cauſa illius factum ſit tenetur ei ſatisfacere ſi recognoverit aut quod ſui cauſa factum non ſit juramento confirmabit in reliquiis ſola manu. 63. Qui veritatem aliquam probare vel teſtificari voluerit ſuper aliqua ardua cauſa domicilia ſua infra municionem civitatis habere tenentur. Si non habuerit teſtificari vel probare non poſſunt. 64. Pax quoque que dicitur pax Dei & effuſio cruoris per quemlibet probari poteſt dummodo ſint homines in jure ſuo inculpati qui preſentes fuerunt & viderunt. 65. Quicquid homo confitetur in communi placito de hoc non poterit aliquo jure ſe expurgare & hoc advocato & conſulibus audientibus & duobus bonis viris jurantibus domicilia ſua in civitate noſtra habentibus licet etiam ad collum ſuum amittendum procedat. 66. Si quis de alio querimoniam moverit quacunque de cauſa & alter negaverit coram advocato & conſulibus in primo & ſuper hoc juramentum preſtare noluerit ſed pocius reddere quam jurare maluerit eo quod prius negavit perſolvat advocato duas oras & civitati duas oras. 67. Quicunque preſtiterit alii aliquam rem in

in conceſſu & perdita fuerit quocunque caſu perſolvere ſibi tenetur cum juramento. 68. Qui poſuerit aliquam rem ſub cuſtodia alterius vel aliquam rem pignori obligaverit & res perdita fuerit quod res non cauſa ſui perdita nec ex negligencia & incuria fuit ſola manu in reliquiis ſe purgabit. 69. Quicunque voluerit poſſeſſiones ſuas vendere primo placito & ſecundo & tercio offerat eas proximis conſanguineis ſuis emendas adhibitis ſecum duobus viris domicilia ſua in civitate noſtra habentibus & ſi emere voluerint & ſicut alieni proinde offerre noluerit concedatur ut vendat ubicunque voluerit ſecundum juſticiam civitatis. 70. Quicunque habuerit poſſeſſiones unde cenſus datur annuatim & ſi ille qui eas conduxerat non perſolverit cenſum ſuum infra quindecim dies poſt tempus ſolucionis videlicet poſt nativitatem beati Johannis baptiſte & poſt feſtum ſancti Andree Si domeſticus ſuper eo voluerit conqueri poſtea de cenſu ſuo inſoluto perſolvat domeſtico IIII. ſolidos advocato IIII. ſolidos civitati IIII. ſolidos Et liberam habeat poteſtatem domeſticus recipiendi precium ſui cenſus in domo debitoris cum preſencia advocati & conſulum vel voluntate vel nuncio ipſorum. 71. Si quis domum alterius conduxerit & intraverit & poſtea domus exuſta fuerit cenſum pro dimidio anno ſolvere tenetur. Et ſi ultra dimidium annum in eadem domo fuerit cenſum pro toto anno ſolvere tenetur. 72. Si quis alium de conducta domo removere voluerit is qui eam conduxit ſola manu in reliquiis cum juramento ipſam domum ad annum habere poterit ſi eandem domum ad inhabitandum intraverit. Et ſi non intraverit ille cujus domus eſt prevalebit. Si tanta neceſſitas urget eum ut alibi domum ad inhabitandum habere non poterit ſicuti eſt incendium. 73. Si quis facultates alterius occupare voluerit vel aliquem extraneum impedire & preconis advocati vel etiam civitatis copiam in inſtanti habere non poterit. Si ſibi duos bonos viros adhibuerit occupacio ſtabit uſque quo preconem advocati vel civitatis primum adducere poterit. 74. Si quis aliquam rem in civitate occupare voluerit ibit ad curiam ubi illa res habetur cum precone advocati vel civitatis vel eciam cum duobus bonis viris & ſic occupacio ſtabit & rata tenetur. 75. Si quis ab advocato vel eciam conſulibus vel ab alio aliquo conqueſtus vel impeditus a civitate inobediens & rebellis clam receſſerit & juriſtare noluerit, Si poſtea in civitate repertus fuerit propter inobedienciam ſuam componat advocato & civitati tres marcas & compellitur juriſtare. 76. Si fortaſſe duo homines unius domus ſunt poſſeſſores & fortaſſe commorari noluerint in illa domo ſeu eciam nequiverint non eſt neceſſe neque concedendum ut domum eandem ſine amborum conſenſu vendant vel diſſipent. Sed alter eorum maneat in domo uno anno vel duobus ſecundum quod inter ſe ipſos elegerint & alius e converſo. 77. Si quis nocte per vicos civitatis vagatur & ab aliquo detentus fuerit & detentori pecuniam exhibuerit & judici & conſulibus preſentatus non fuerit & hoc probari poterit detentor perſolvat advocato VI. marcas & civitati VI. marcas denariorum. 78. Quicunque alii violenciam fecerit & libertate ſua alium deprivaverit vel eciam captivitati mancipaverit ſine judicis & conſulum mandato leſo ſatisfaciat in XL. marcas advocato & civitati in XL. marcas. Si actor negaverit & leſus probare non poterit cum XII. vicinis ſuis ubi leſio facta fuit ſe purgabit. 79. Si quis denarium S. Spiritus preſentibus duobus bonis viris domicilia ſua in civitate habentibus ſuper contractu vel aliqua mercacione erogaverit. Si vero uni eorum empcio diſplicet antequam ab eo receſſerit, denarium S. Spiritus aut reſtituere aut tenere poterit quod ſi ab invicem receſſerint neuter eorum poteſt empcionem infringere. 80. Si aliquis puer infra XIIII. annos aliquem ad effuſionem ſanguinis leſerit puer nichil tenetur ſatisfacere advocato vel civitati ſed leſo. 81. Si quis puer infra XIIII. annos exiſtens hominem interfecerit tenetur ſatisfacere pro homicidio advocato & civitati in XL. marcas. 82. Si quis edificare voluerit aram porcorum ſive privatam non vicinius platee quam ad V. pedes & vicino ſuo ad III pedes ei licebit edificare cemiterio aut ad VII. pedes vel ad VI. pedes ſi neceſſe fuerit. 83. Quicunq; alii fundum locaverit ſub annuali penſione ad aliquot annos vel quamdiu dom9 propter incendium durare poterit ſi in cenſu ſuo non defecerit ab illo fundo interim non poterit removeri nec cenſus augeri. 84. Quicunque terras vel poſſeſſiones in communi placito ſibi ſcotatas in quieta poſſeſſione per annum & diem habuerit nulli infra civitatem interim commoranti licebit illas poſſeſſiones interim impetere quoquo modo. 85. Si quis terras vel poſſeſſiones in communi placito ſibi ſcotatas in quieta poſſeſſione per triennium habuerit nulli civi ſive alii extraneo ſive extra regnum ſive in regno iterum exiterit impetere illas poſſeſſiones licebit. 86. Nemini civium noſtrorum ſane mentis exiſtenti vel in extremis laboranti liceat legare vel vendere eccleſiis vel clauſtris epiſcopis militibus bona immobilia in civitate noſtra jacencia. Si vero aliquis ob ſalutem anime ſue legare voluerit vendat ea civibus ſuis pro pecunia & illam leget eccleſiis vel clauſtris. Quicunque hoc infregerit ſolvat civitati VI. marcas denariorum & advocato VI. marcas denariorum. Nichilominus bona immobilia civibus vendantur. 87. Quicunque civis vel hoſpes coram conſulibus & advocato citatus fuerit & ad primam citationem non comparuerit ſi perſonaliter in civitate fuerit perſolvat advocato & civitati oram denariorum pro inobediencia. Si vero ſecundo citatus fuerit & ad ſecundam citacionem non comparuerit ſi in civitate perſonaliter fuerit componat advocato oram denariorum & civitati oram. Et ſi tercio citatus fuerit & tunc non comparuerit ſi perſonaliter in civitate fuerit componat propter inobedientiam ſuam advocato oram & civitati oram & debiti quod ſibi imputatur reus erit. 88. Quicunque moverit querimoniam in communi placito de alio ſuper debito & probare non poterit per bonos viros & alter negaverit ſola manu in reliquiis ſe purgabit & ſic pro debito liber erit. 89. Quicunque in communi placito de aliquo ſuper debito conqueritur & ille negaverit & actor dicit ſe poſſe probare per bonos viros qui preſentes fuerunt tunc in proximo ſequenti placito producantur teſtes reo citato & ſecundum teſtimonium illorum debet de debito judi-

judicari. Si autem illi proteſtantur quod reus in tanto debito actori de jure tenetur dies ad XIIII. dies ſubſequentes prefigatur ad debitum ſolvendum ſi prius ſolvere noluerit. Si vero in termino ſolucionis defecerit & debitum infra non perſolverit vel eciam non quitaverit ſibi rem in tercia parte debito meliorem perſolvat advocato IIII. ſolidos denar. & civitati IIII. ſolid. denar. 90. Si quis moverit querimoniam de alio ſuper debito infra X. marc. denar. exiſtente, ſi conſtiterit duobus bonis Viris in jure ſuo inculpatis tantum in facultatibus habentibus quod poſſit debito reſpondere infra XV. dies ſibi ſolvere tenetur & ſi tantum in facultatibus non habuerit de tanto debito teſtificari non poſſunt. 91. Si quis conqueritur de alio ſuper debito X. marcas excedente ſi conſtiterit duobus bonis viris domicilia ſua in civitate habentibus & tanta in facultatibus ſuis & domiciliis habentibus quod poſſint debito reſpondere ſuper quo querela vertitur infra XII dies ſi prius noluerit perſoluere tenetur vel VIII. ſolidis denariorum privetur. 92. Super tanto debito pro quanto in facultatibus poſſit reſpondere poteſt quis teſtificari ſi ſit in jure ſuo inculpatus. 93. Si quis ſuper debito de alio in placito conqueſtus eſt & XV. dies ſunt tranſacti & tria placito non perſolverit deſcribitur & omni jure privatus & excluſus & perſolvat illi qui illum convicit I. marcam advocato unam marcam & civitati unam marcam. 94. Si convictus debitum ſuum perſolvere non curaverit & inobediens & rebellis extiterit advocatus & conſules liberam habent poteſtatem ipſum in preſonio quouſque debitum ſuum perſolverit & advocato & conſulibus ſecundum jura civitatis ſatisfecerit detinendi quamvis domicilia habuerit & ſufficientem cautelam in facultatibus habuerit. 95. Si convictus conqueritur in placito de aliquo quacunque de cauſa ille ſuper quo querela vertitur non tenetur de jure niſi voluerit convicto reſpondere nec ſatisfacere antequam pro ſe ſatisfecerit ſed tenetur ſatisfacere advocato & civitati. 96. Super quacunque cauſa vicini ad diſcernendum in placito in unum convenerint juramentum eorum ſine omni reclamacione ratum & firmum & ſtabile reneatur niſi fuerit publice contra communem civitatis. 97. Si diſſenſio fuerit ſuper aliquo pignore alicui impignorato de quantitate pecunie ille qui impignoravit ſola manu cum juramento in reliquiis prevalebit & tenebitur etiam de omni re impignorata. Si vero ille cui res ſit impignorata teſtes habuerit qui preſentes fuerunt cum res impignorata fuit tunc ille prevalebit & ſecundum ipſorum teſtimonium debet judicari. 98. Quicquid homo in communi placito promiſerit alicui ſolvere in placito eodem vel eccleſia cum bonorum teſtimonio tenetur ſolvere. Si vero ſine aliquibus preſentibus ſolverit ille cui ſolvit ſi voluerit iterato debitum poterit extorquere. 99. Quicquid aliquis promiſerit bonis viris preſentibus tenetur ſolvere bonis preſentibus. Si aliter ſolverit ab eo iterum poterit debitum extorqueri. 100. Nemo antequam ſuum *Bylagh* ſolverit in communi placito poteſt teſtificari ſuper cauſas civium. 101. Nemini hoſpitum licitum eſt infra feſtum beati Martini & mediam quadrageſimam aliquas res emere vel vendere ſine licencia civitatis exceptis rebus que dicuntur *Rugwabre* & *gryſſen pannum* qui dicitur *Wathmel*. 102. Anno Domini M. CC. I incepimus murare circa civitatem. 103. Quicunque alicujus Domum infregerit vel januam alicujus cum violencia invaſerit & domum non intraverit tenetur ſatisfacere domeſtico iij marcas denariorum advocato & civitati iiij marcas. Si negaverit ſola manu in reliquiis ſe purgabit. 104. Si duo adinvicem pugnaverint & ſe concordaverint & alter de altero noluerit conqueri poteſt tamen advocatus & civitas de ipſis pro jure ſuo conqueri & ipſos cum teſtibus devincere vel ſola manu ſe purgabunt in reliquiis cum juramento ſi teſtes preſentes non fuerunt. 105. Quicunq; naves ex novo in civitate noſtra preparare voluerit que *Settebond* habuerint ex qualibet nave tenetur ſolvere civitati noſtre ij marcas. Si vero illam vendiderit & mencio de iſtis duab9 marcis facta non fuerit & uterque tacuerit qui navem vendidit predictas marcas exſolvat. Sed ſi mencio inter ipſos facta prius fuerit qui navem vendidit ſolvat unam marcam & qui emit aliam. 106. Quicunque in falſo teſtimonio deprehenſus fuerit & convictus cum duobus bonis viris in jure ſuo inculpatis a teſtimonio perhibendo proſcribitur & ſolvat advocato regis iij. marcas & civitati iij. marcas. 107. Ubicunque quis moritur & ſolucionem ſuam proprie *Arffköpp* pro ſe perſolverat ibidem ubicunque locorum bona defuncti in regno ſunt libera ab omni impeticione eſſe tenentur 108. Si quis ſubitanea & improviſa morte preventus fuerit videlicet aqua ſubmerſus vel interfectus ſubito vel quacunque morte ſubitanea nec hujus vite tempus habuerit dictam ſolucionem ſolvendi tunc hereditas defuncti cedat ſuis heredibus & nichil inde Domino regi 109. Si alius advocatus poſt alicujus mortem ſuper heredibus querimoniam moverit quod ille defunctus ſuum *Arffköpp* ante mortem non ſolverat & heredes ejus dicunt illum ſolviſſe tunc heredes cum juramento ſuo pocius prevalebunt & hereditatem tenebunt ſi jurare audebunt. 110 Quilibet domeſticus habens domicilium in civitate vel qui ſibi emerat expenſas de aliquo tenetur ſolvere ij. denarios advocato Domini epiſcopi ſemel in anno in feſto paſche antequam corpus Domini acceperit. Qui autem negligens fuerit & dictos denarios non ſolverit ut dictum eſt in tribus marcis puniatur. Qui autem ultra mare negociatus eſt ſi quinta die poſtquam domi redierit non ſolverit in tribus marcis puniatur. 111. In omnibus dominicis & feſtis beatorum apoſtolorum & in aliis ſummis feſtivitatibus bona ſua ad navem deferendi ſi proſpera proflat aura liberam quilibet habeat poteſtatem nec ab aliquo tunc eſt licencia petenda. 112. Omnia bona venalia ad forum ripenſe veniencia videlicet ligna cremabilia annonam ceteraque bona quecunque homo habuerit venalia in omnibus diebus in anno liberam quisque habeat facultatem exonerandi & vendendi & emendi & libere ea ſecundum voluntatem ſuam diſponendi nec alicujus licencia eſt ſuper hoc petenda. 113. Quocunque die integro panes deficiunt in ſcabellis piſtorum puniantur communiter in duabus marcis denariorum. 114. Omnes in una expenſa exiſtentes tenentur ſolvere unum *Aragield* & hoc in nativitate beati Johannis Baptiſte ante ſolis occaſum vel qui negligens fuerit & non ſolverit die ſancti Johannis in duplo ſol-

ſolvat. 115. Quilibet de ſua feneſtra tenetur ſolidum denariorum in qua mercimonia inveniuntur venalia illa feneſtra excepta in qua nichil aliud vendatur niſi ſal. 116. Quicunque civis vel hoſpes vinum menſuratim vendere in civitate voluerit menſuras civitatis habere debeat & de quolibet *Aam* ſolvere debeat IX. *pynt* conſulibus. Item quicunque voluerit vendere vinum menſuratim debet ſolvere domino cantori eccleſie ripenſis de quolibet *Aam* III. *pynt* ſimiliter III. advocato domini regis. 117. Quicunque vinum vendere voluerit vinum ſuum ad pretorium proprie *Radhwſs* coram conſulibus civitatis faciat preſentari & ſecundum quatuor conſulum ad hoc ab aliis conſulibus electorum arbitria debet penſari pro quanto precio ſit vendendum. Si autem vinum preſentatum & ſecundum IV. conſules ut dictum eſt appreciatum ita vendere voluerit vas illud debet recludi. Recludens vero III. marcas denariorum advocato domini regis & tres marcas civitati ſolvere tenetur. 118. Quicunque bonum vinum coram conſulibus per ipſos appreciandum obtulerit & poſtea aliud vinum deterius preſentato vendere attemptaverit tunc conſules vas vini ipſius frangere debent vinum effundendo & ipſe domino regi decem marcas denariorum & civitati decem marcas denariorum ſolvat in memoriam tante preſumpcionis. 119. Quicunque vinum proprie *Kortwijn* de vaſe proprie *Rinſkfath* vendiderit ipſe omnibus rebus ſuis quas in præſenti habuerit carere teneatur. Has autem leges & jura ſupra ſcripta nos Ericus Dei gracia danorum ſchlavorumque rex dictis civibus ripenſibus indulgem9& tenore preſentium confirmamus preſentes literas ſub ſigillo noſtro eisdem in hujus rei teſtimonium concedentes. Datum anno die& loco ſupradicto.

Hæc ſunt jura Pannitonſorum.

120. Quicunque pannos ſuos voluerit tonderi pro qualibet ulna panniScharlaci II.denarios monete uſualis pro duabus ulnis panni gentisk &Anglici III denarios pro qualibet ulna cererorum pannorum cujuslibet generis unum denarium dabit.Quicunque hoc infregerit in tribus marcis puniatur. 121.Statuimus & in unum cum conſenſu advocati noſtri convenimus quod quilibet novicius qui conſul crearetur beneficium ſuum illo anno quod introitus dicitur celebraret ſecundum ſue dignitatem largitatis alioquin alia vice ad conſulatus excellentiam nullatenus admittatur.

De potu traſſnenſi.

122. Quicunque voluerit vendere cereviſiam traſſnenſem menſuratim vendat ſtopam pro IIII denariis & non carius. Et quicunque civis vel hoſpes vendiderit lagenam cereviſie traſſnenſis vel emerit carius quam pro VI oris denar. ille qui vendidit careat precio ſuo & ille qui emit puniatur in lagena cereviſie traſſnenſis. 123. Quandocunque tunna ſiliginis emitur proVI. ſolidis tunc panis ſiliginis proprie Scenrog qui pro denario vendatur debet ponderare unum pondus proprie *pund* ponderis colonienſis. Et minor panis qui pro obulo venundetur ponderabitXXII.*loth* ejusdem ponderis. Item quando tunna tritici emitur pro marca denariorum tunc par panum triticeorum denarium valencium ponderabit XIIII. *loth* predicti ponderis. Et ſecundum quod ſiligo vel triticum extenditur & remittitur in cariori foro vel leviori ſecundum hoc debent piſtores piſtare panes utriusque in valore & pondere extenſiori vel remiſſiori diſcrete ſecundum formam predictam.

II. CRISTOFERUS *Dei gracia DacieSwecie Norvegie Sclavorum Gotorumque Rex Comes Palatinus Reni & Dux Bavarie.* Omnibus preſens ſcriptum cernentibus ſalutem inDomino ſempiternam. Notum facimus univerſis preſentibus & futuris quod nos dilectos nobis proconſules & conſules ac omnes & ſingulos cives Riipenſes una cum bonis eorum omnibus mobilibus & immobilibus,ac tota familia eis attinente ſub noſtra pace ac protectione ſuſcipimus ſpecialiter defendendos concedentes eis omnes infra ſcriptas gracias libertates & Privilegia. *Regis Chriſtophori jura a 1443.*

1. Primo ut ubicunque infra terminos regni noſtri negociationis cauſa cum ſuis mercimoniis devenerint liberi eſie debeant & exempti penitus a ſolutione thelonei exceptis nundinis noſtris autumpnalibus in Schanor & Draghoor.2. Item quicunque infra civitatis noſtre marchiam hominem ſine cauſa interfecerit & ſuper hoc convictus fuerit capitali ſentencie ſubjacebit ſi fugerit pace ſua privetur, & pro ipſo cognati in hoc ſatisfaciant. 3. Item quicunque in civitate noſtra in domo vel vico nocte vel die hominem interfecerit & in facto non deprehenſus fuerit vicini duodecim ex parte utraque ubi factum fuit homicidium coram advocato & conſulibus citentur ſuper eodem homicidio ad diſcernendum& invenire tenentur qui reus ſit ipſius mortis & qui ex illis duodecim diſcernere noluerint quadraginta marc. denar. componant advocato& civitati quorum dimidietas cedat advocato & medietas civitati ſed ſi illi duodecim in unum convenire non poterint major pars prevalebit & quicquid juramento ſuo decreverit ratum teneatur & ſi quis ipſorum contra & injuſte fecerit in quadraginta marc.puniatur & nunquam admittatur ad diſcernendum nec ad teſtificandum. 4.Quicunque mulieri fecerit violenciam & convictus fuerit cum duodecim vicinis ſuis proximis ubi violencia fuit facta capitali ſentencie ſubjacebit. 5 Quicunque alium domi cum manu armata viſitaverit & violenciam ſibi fecerit domumque ipſius fregerit & domeſticum vel famulos indebite voluerit ledere & domeſticus neceſſitate vite ſue compellente ſe defenderit & actor ibidem leſus fuerit quodcunque dampnum inde optinuerit ſatisfactione careat & emenda ſed ſi quis intraverit domum alterius violenter & impetuoſe ac male ipſum in propria domo tractaverit ſi convictus fuerit cum octo bonis viris domicilia in civitate habentibus vel cum octo bonis viris & inculpatis vicinis ſuis qui preſentes fuerunt 40. marc.denar. ſatisfaciat domeſtico 40.marc.denarior.advocato & item civitati. 6. Quicunque alium vulneravit cum armis mortiferis & convictus fuerit cum octo bonis viris domicilia ſua in civitate habentibus juris eſt ut manus ejus aputetur niſi cum conſenſu leſi per advocatum & conſules amicabilis compoſitio poſſit fieri inter ipſos. 7. Quicunque civis ultra quam ad hoſpitium ſuum venerit ſi negociatus fuit extra civitatem arma in ſe portaverit & cum hiis deprehenſus fuerit dimidiam marc.den.componat advocato&civitati tantum,ſi vero fuerit hoſpes cum primitus ad hoſpicium ſuum venerit re-

[illegible] illa sub custodia hospitis sui si post hec in se portaverit componat advocato dimidiam marc. den. & civitati tantum vel sola manu in reliquiis se purgabit quod nescivit quod inhibitum fuit item domesticus debet dicere hospiti quod inhibitum sit arma in civitate portari quod si non fecerit solvat civitati dimidiam marc. denar. & advocato tantum sed si hospes premonitus nichilominus portaverit manu ejus cum eodem cultello vel gladio seu lancea transfigatur. 8. Nemini civium nostrorum sane mentis existenti vel in extremis laboranti liceat legare vel vendere ecclesiis vel claustris episcopis vel militibus immobilia bona in civitate nostra jacentia si vero aliquis legare voluerit vendat ea civibus suis pro pecunia & illam legat ecclesie vel claustris qui hoc infregerit solvat civitati 6. marc. den. & advocato 6. marc. nichilominus bona immobilia civibus vendantur. 9. Qui infregerit quod civitas servandum decreverit consules de eo judicabunt & quid compositionis inde provenerit civitas dimidiam partem percipiat & advocatus dimidiam partem. 10. Qui ex deliberato consilio alium baculaverit si baculatus mortem evaserit manum amittat si baculatus exinde moriatur qui ipsum baculaverit capitali sententie subjacebit sed si in facto deprehensus non fuerit & negaverit per duodecim vicinos ubi hoc factum est si poterit se defendat. 11. Si quis citatus fuerit super vulnere ad discernendum & non venerit in tribus marc. puniatur similiter fiat de rapina. 12. Si inter duos in vico vel in platea vel in potu forsan rixa vel discordia subito oriatur fustes & baculos ibidem comprehenderint in alternam & mutuam lesionem & hoc probari poterit per duos bonos viros qui presentes fuerint quod non factum sit ex deliberato consilio sed ex quodam impetu leso 6. marc. den. componat civitati 6. marc. den. & advocato 6. marc. denar. & si poterit probari per bonos viros quod prius discordia inter ipsos fuerit & alter alteri posuerit insidias & leserit ipsum si evadat leso 40. marc. den. componat civitati & etiam advocato 40. marc. si vero inde moriatur reus erit sententie capitalis. 13. Quicunque alii percusserit alapam vel sine merito in platea vel in vico vel ubicunque fuerit in civitate alium enormiter truserit si poterit probari per bonos duos viros qui presentes fuerunt leso 3 marc. advocato 1. marc. & civitati unam denariorum. 14. Si quis corrixando cum alio alium appellaverit furem sive latronem vel falsarium perjurum mortificatorem leccatorem spurium vel mendacem in detrimentum & confusionem ejus & ita esse probare non poterit satisfaciat illi cui crimen imposuit 1. marc. advocato 1. marc. civitati 1. marc. & quecunque mulieres invicem corrixantur juris est ipsos per vicos civitatis sursum & deorsum per collum lapides bajulare vel duas marcas solvere. 15. Quicunque evaginaverit gladium suum vel cultrum suum ad ledendum alium seu ipsum agitaverit enormiter & detentus fuerit si convictus fuerit super hoc cum duobus bonis viris domicilia sua in civitate habentibus leso componat 3. marc. den advocato 3. marc. & civitati 3. marcas. Qui vero cultro alium ledere voluerit cum cultro est manus ejus transfigenda. 16 Quicunque in civitate nostra convictus fuerit super ardua causa ad collum & fugerit ubicunque venerit & deprehensus fuerit pace sua privetur. Quicunque etiam proscriptus fuerit & civitati abjuraverit, & iterum absque licencia consulum redierit capitali sententie subjacebit. 17. Si quispiam legitimam uxorem hic duxerit & alias legitimam habuerit & ipsam reliquerit si de hoc convictus fuerit posteriori renunciabit & nichil de bonis participabit sed de civitate precipitabitur & ob nequiciam facti dimidiam substantiam ipsius componat advocato & civitati. 18. Si quis abstulerit alicui legitimam & bona sua fugeritque de civitate cum ea si deprehensus cum ea fuerit capitali sententie subjacebit. 19. Quicunque argentum non dativum produxerit vendendo & monetarius illud falsum esse pronunciaverit & ille asserit se illud in venalitatibus suis accepisse ille pocius quam monetarius prevalebit. 20. Sed si quis denarios falsos protulerit scienter & in hoc repertus fuerit capitali subjacebit sentencie. 21. Si vero aliquis Bundonum inscius deprehensus cum falsis denariis fuerit emendabit civitati 1. marc. den. advocato 1. marc. den. 22. Et qui deprehensus fuerit juxta Stathæ & Stabel capite puniatur. 23. Si quis cum melle falsificato inventus fuerit, si sit hospes mercator se purgare cum nautis suis debet si vero civis fuerit debet cum 12. vicinis suis ex utraque parte se defendere & purgare & si is vel ille in purgacione defecerit capitali sentencie subjacebit & ipsum mel comburi debet & igne concremari & hoc idem fiet de cera falsificata & de omni falsificato quod perire debet. 24. Si quis habuerit falsum modium & cum eo deprehensus fuerit emendabit civitati 1. marc. den. & advocato 1. marc. den. & fundus modii extrudetur & modius in foro suspendatur simile fiet de pundario & ulna & statera. 25. Nullus autem modius nec aliquis funiculus vel ulna culpari potest nisi comprehendatur in mensura si quis vero ex istis duo habet videlicet unum majus cum quo recipit & unum minus cum quo erogat si cum his deprehensus fuerit sicut fur judicabitur. 26. Si quis cum falsa mensura vini medonis cerevisie deprehensus fuerit persolvat civitati 1. marc. den. & advocato 1. marc. den. 27 Et si justam mensuram habuerit & eam plenam non importaverit persolvat advocato oram den. & civitati oram den. 28 Quicunque citatus fuerit ad veritatem super quacunque causa protestandam & fuerit in falso repertus emendabit advocato 3. marc. denar. & civitati 3. marc. den. & suspendatur a testimonio & nunquam super aliqua causa permittatur testificari. 29. Quicunque alii posuerit insidias nocte vel die & ipsum rebus suis despoliaverit si convictus fuerit cum duodecim viris vicinis suis capite puniatur. 30. Si quis cum furto deprehensus fuerit dim. marc. denar valente pene suspendii fur reus erit si fuerit estimatio minoris precii signum furis sibi infigatur & si post hoc cum furto minoris vel majoris precii deprehensus suspendatur. 31. Si quis alii furti crimen imputaverit & nichil sub eo deprehenderit purgabit se cum XII. Vicinis ex utraque parte & sic liber erit. 32. Et quecunque mulier pro furto suspendi meretur pro honore muliebri viva tumulabitur. 33. Si aliquis sui homicida fuerit (quod Deus avertat) vel per justam sententiam decollatus heredes ipsius omnem hereditatem suam integraliter

ter obtinebunt. 34. Si quis pro furto suspensus fuerit debet civitas habere medietatem porcionis furis & advocatus reliquam medietatem. 35. Si vir cum legitima alicujus deprehenditur juris est ut ipse ab ea per vicos civitatis sursum & deorsum per veretrum suum trahatur. 36. Et si ita contigerit quod in thoro fornicationis legitimus adulterum vel ambos interfecerit adhibitis secum testibus satisfactione careat & emenda. 37. Et si aliqua puella contra consensum parentum connubium manifestum commiserit voluntarie illicenter privetur tota bonorum suorum substantia. 38. Ubi promissio aliqua coram consulibus vel coram illis qui modo sunt ad consilium deputati facta fuerit & ordinata eadem promissio rata tenebitur & si consules coram quibus promissio facta fuerit ad alios consules ascenderint asserentes illam promissionem veram & taliter esse factam tam per illos qui tunc temporis hanc audiunt quam per illos qui prius audierant promissio rata manebit. 39. Si quis deliquerit contra consules vel contra procuratorem eorum quicquam preter ipsorum meritum verbo vel facto & inde cum 2. bonis viris qui presentes fuerunt & audiverunt convictus fuerit emendabit illis in duplo vel oram denariorum si vero consules pro transgressione hujusmodi personaliter ierint & vacui redierint persolvet advocato 1. marc. civitati 1. marc. denariorum. 40. Quicunque ordinacioni consulum & advocati contradixerit nolendo eorum stare ordinacioni debet emendare civitati 3. marc. advocato 3. marc. denariorum & stare nichilominus ordinacioni eorum prius facte. 41. Super quacunque causa consules cum advocato in unum convenerint sine quorumlibet civium vel aliorum proclamatione ratum & stabile teneatur. 42. Quicunque in placito clamaverit vel causam aliquam ibidem proposuerit preter licentiam consulum & advocati emendabit advocato & civitati oram denar. 43. Ad quoscunque consules pro Wydæ recipiendo preconem civitatis miserint meritis suis exigentibus & voluntarie sibi non assignaverint sed negaverint emendat advocato oram denar. & civitati oram denariorum. 44. Quicunque de consulibus relator consilii extiterit qui dicitur *Radhs roberæ* vel justiciam civitatis pro pecunia vendiderit si super hoc convictus fuerit precipitabitur de consilio & nunquam consul efficiatur. 45. Quicunque in suo proprio aliquid edificat & eventu malo vel casu nullo procurante de ipso edificio alicui lesio contigerit ille cujus edificia sunt leso nihil penitus tenetur inde respondere. 46. Si quis domum alterius quacunque de causa intraverit & ibi a jumento vel pecore seu cane quocunque modo lesus fuerit dominus leso nihil inde tenetur respondere. 47. Si vero pecus vel jumentum, vel equus que homini licita sunt habere aliquem ad mortem leserit, sit in opcione possessoris quod vel pecus illud reficiat illi in emendam vel retineat & emendat leso novem marcas denariorum & si simile de eodem contigerit iterato emendat decem octo marc. leso advocato sex marc. civitati sex marc. denar. 48. Si vero pecus alicui vulnus fecerit preter *Left* possessor aut pecus illud exponat & a se dimittat leso vel eidem emendat duas marcas si vero contingat simile de eodem iterato emendat leso 4. Marc. & advocato 3. Marc. & civitati 3. Marc. denariorum. 49. Quicunque alii aliquam rem sine consensu & voluntate ipsius surripuerit si convictus fuerit cum duobus bonis viris qui presentes fuerint satisfaciat illi in tribus marcis advocato in una marca & civitati in una marca denariorum. 50. Si quis de alio conqueritur quod per ipsum dampnificatus sit debet taxationem dampni exprimere & satisfacere sibi vel cum juramento sola manu in reliquiis se expurgabit. 51. Si civium forsan aliquis extra civitatem indebite ab aliquo male tractatus fuerit & reversus moverit querimoniam super concive suo quod causa illius factum sit satisfacere leso tenetur aut quod sui causa factum non sit juramento confirmabit, licet & in collum suum procedat. 52. Qui veritatem aliquam probare vel testificari super aliqua ardua causa debent domicilia sua infra munitionem civitatis habere tenentur si non habuerint testificari non possunt. 53. Pax ergo que dicitur pax Dei & effusio cruoris per quoslibet probari potest dum modo sint homines in jure suo inculpati si presentes hoc audiverunt. 54. Quicquid homo confitetur in communi placito de hoc non poterit aliquo jure se expurgare & hoc advocato & consulibus audientibus & duobus bonis viris Jurantibus domicilia sua in civitate habentibus. 55. Si quis querimoniam de altero moverit quacunque de causa & alternegaverit coram advocato & consulibus & super hoc Juramentum prestare noluerit sed potius reddere quam jurare maluerit eo quod prius negavit persolvat advocato ij. oras & civitati duas oras denariorum. 56. Quicunque prestiterit alii aliquam rem in concessu & perdita fuerit quocunque casu persolvere sibi tenetur cum juramento. 57. Qui posuerit aliquam rem sub custodia alterius vel aliquam rem pignori obligaverit & res perdita fuerit quod res non causa sui perdita nec ex negligentia fuit sola manu in reliquiis se expurgabit. 58. Quicunque voluerit possessiones suas vendere primo secundo & tertio offerat proximis suis consanguineis adhibitis secum duobus bonis viris domicilia sua in civitate habentibus & si emere voluerint sicut alieni inde offerant emant si autem noluerint concedatur ut vendat cuicunque voluerit secundum justiciam civitatis 59 Quicunque habuerit possessiones unde census datur annuatim & si ille qui eas conduxerat non persolverit censum infra quindecim dies post tempus solucionis vel post festum beati Johannis Baptiste & festum beati Andree si domesticus voluerit super ipso conqueri persolvat domestico 4 solidos advocato 4. solidos civitati 4. solidos denariorum. 60. Si quis domum alterius conduxerit & intraverit & postea domus exusta fuerit censum pro dimidio anno solvere tenetur & si plusquam ad dimidium annum in domo fuerit censum de toto anno solvere tenetur. 61. Si quis autem alium de conducta domo ejicere voluerit is qui eam conduxit sola manu in reliquiis ipsam ad annum tenere poterit si domum ad inhabitandum intraverit & si non intraverit ille cujus domus est prevalebit. 62 Si quis facultates suas occupare voluerit & preconis advocati copiam habere non poterit si sibi duos bonos viros adhibuerit occupatio stabit usquequo preconem advocati primum adducere potuerit. 63. Et si quis aliquam rem occupare debuerit ibit ad curiam ubi res habetur & cum occupacione stabit.

64. Si

64. Si fortaſſe duo homines unius domus poſſeſſores ſint & fortaſſe commorari noluerint ſeu nequiverint non eſt neceſſe ut domum vendant vel ediſſipent ſed alter maneat in domo uno anno vel duobus ſecundum quod elegerint & alter e converſo. 65. Si quis nocte per vicos civitatis vagatur & ab aliquo detentus fuerit & detentori pecuniam exhibuerit & judici & conſulibus preſentatus non fuerit & hoc probare poterit detentor perſolvat advocato ſex marc. & civitati ſex marc. denariorum. 66. Si quis denarium ſancti Spiritus preſentibus duobus bonis viris domicilia ſua in civitate habentibus ſuper contractu & mercancia aliqua erogaverit, ſi vero uni eorum emptio diſplicet antequam ab eo receſſerit denarium S. Spiritus aut reſtituere aut recipere poterit quod ſi ab invicem receſſerint neuter eorum poterit. 67. Si aliquis puer infra novem annos aliquem ad effuſionem ſanguinis leſerit puer nichil ſatisfaciat civitati vel advocato excepto homicidio pro quo ſatisfacere tenetur. 68. Si quis edificare voluerit aram porcorum ſive privatum non vicinius platee quam ad quinque pedes & vicino ſuo ad tres pedes ei licebit edificare cœmiterio ad ſeptem pedes vel ad quinque pedes ſi neceſſe fuerit. 69. Omnes terre civium noſtrorum extra civitatem & infra ſcotande ſunt in communi placito *advocato* & *conſulibus* preſentibus quicunque etiam poſſeſſiones ſic ſcotatas in quieta poſſeſſione per annum & diem habuerit nulli infra civitatem interim commoranti licebit illas poſſeſſiones impetere quoquo modo ſed fit preſcriptio per unum annum. 70. Sed ſi in quieta poſſeſſione per triennium habuerit nulli ſive in regno ſive extra regnum interim extiterit impetere illas poſſeſſiones licebit. 71. Quicunque citatus fuerit coram conſulibus & ad primam citacionem non comparuerit perſolvat civitati dimidiam oram denar. & advocato dimid. oram denar. ſi ad ſecundam citacionem non comparuerit oram civitati perſolvat & advocato oram den. ſi vero ad tertiam citacionem non comparuerit perſolvat civitati 2. oras & advocato duas oras denariorum & cauſe que ſibi objicitur reus erit & preco civitatis ipſum citare tenetur. 72. Quicunque moverit querimoniam de alio ſuper debitum infra decem marc. denariorum exiſtente ſi conſtiterit duobus bonis viris in jure ſuo inculpatis tanta in facultate habentibus quod poſſint debito reſpondere infra quindecim dies ſi prius noluerit perſolvere tenetur. 73. Si autem aliquis moverit querimoniam de alio ſuper debito decem marc. den. excedente ſi conſtiterit duob9 bonis viris domicilia ſua in civitate habentibus & tanta in facultatibus & domiciliis ſuis habentibus quod poſſint reſpondere debito ſuper quo querela vertitur infra quindecim dies ſi prius noluerit perſolvere tenetur ſi vero defecerit in termino ſolutionis & debitum ſuum non perſolverit vel etiam non aſſignaverit ſibi rem debito equivalentem infra dictum terminum perſolvet civitati quatuor ſolidos & advocato quatuor ſolidos poſt hec ſi in placito proximo ſubſequenti & in alio ſuper eodem debito querela vertitur, ſi autem infra tertium placitum non perſolverit deſcribitur convictus & omni jure eſſe privatus & excluſus & perſolvat illi qui ipſum convicit unam marcam advocato unam marcam civitati unam marcam. 74. Si autem tunc debitum ſuum perſolvere non curaverit advocatus & conſules liberam habeant poteſtatem ipſum in priſonio quouſque debitum ſuum perſolverit detinendi. Has autem leges & jura ſupraſcripta Nos. Criſtoferus Dei gracia Dacie &c. Rex dictis civibus Ripenſibus indulgemus tenore preſentium confirmantes. Inſuper Privilegia dictis civibus ripen. per predeceſſorem noſtrum Criſtoferum Regem Dacie &c. pie memorie data Ripis Anno Domini 1252. octavo kalend. Auguſti preſentibus confirmamus unde ſub obtentu gracie noſtre juſticiam prohibemus ne quis advocatorum noſtrorum eorundem officialium aut quisquam alius cujuscunque condicionis aut ſtatus extiterit antedictos proconſules & cives Ripenſes vel ipſorum quemcumque ſeu aliquem de ipſorum familia contra has gracias libertates & privilegia ipſis a nobis indultas in premiſſis audeat modo aliquo moleſtare, vel aliquo modo impedire prout regiam Majeſtatem diligere voluerit inoffenſam. In cujus rei teſtimonium Sigillum Majeſtatis noſtre preſentibus duximus appendendum. Dat. Ripis Anno Domini 1443. Vigilia Epiphanie Domini Anno regni noſtri Dacie tertio.

Codicibus quibusdam PRÆCIPUA CIVITATIS RIPIS PRIVILEGIA *& documenta ab a. 1150. usq; ad a. 1580. adhærent, quæ repetere nolui, typis quippe nuper ea ſcripta a P.* TERPAGERO in Ripis Cimbr. a. 1736. *editis p. 31. 49. ſeq. 175. ſeqq. 463. 471. ſeq. & p. 685. uſque ad p. 693.* Singula fere continent vel libertatem commerciorum apud Flandros, Scanos cet. vel exemtionem a DEBITO JURIS REGII (aliquando: *gravamine exactoreo*) quod rurenſes ZUERSÆTH, urbani SCOT & QUERSÆTH, vocant, item ab INNÆ, STUTH, RESKYNTH & a ſolutione thelonii tam in nundinis quam alibi in regno TORGIELD (aliquando. *Thoraggield* item *Torffvegield*) FORBANDH, STRANDWRAAG ſeu WRAC cæterisque ſolutionibus & ſervitiis ad jus regium ſpectantibus, ut & libertatem & jura littorum FOORSTRAND, quorum termini vocantur *Liſt*, *Mandor* & *Dyb*. Excipiuntur tamen aliquando regique reſervantur FORBAND, WREC, *jura* QUADRAGINTA *marcarum ſeu hofnæ pro exceſſibus & cauſis majoribus, item* FRIITHKOOP & ea, quæ de NAUFRAGIIS perveniunt, ut & contributio, quæ dicitur BYSKAT *h. e. civium ſeu civica contributio.*

XXIV.

JVRA STATVTARIA CIVITATVM HAFNIÆ ET HELSINGORÆ

A REGE DANIÆ CHRISTOPHORO BAVARO A. 1443. DATA (*), GERMANICE REDDITA ET TRANSSCRIPTA E CODICE ANTIQVO DANICO IN FOLIIS VIII. MEMBRANACEIS FORMÆ QVARTÆ EXARATO, CVI ADPENDET SIGILLVM (**) MAJESTATIS CVM CONTRASIGILLO CERÆ RVBRÆ IMPRESSVM ET CAPSVLÆ EX LAMINA CONFECTÆ INCLVSVM.

Wir

(*) Ab eodem Rege condita ſunt Statuta Storehedingæ ſeu civitatis magnæ Hedingæ, data Hafniæ in craſtino circumciſionis Domini A. 1441. articulis XII. quorum argumenta fere repetuntur in Statutis Hafnienſibus. Ampliavit hæc ſtatuta Rex Joannes inſigni codicillo libertatum juriumque civitatum mercatoriarum regni Daniæ, quem promulgavit Hafniæ die beatæ Julianæ virginis an. 1487. articulis CLXII.

(**) Quod ære expreſſum eſt in Codice diplomatico juris publici Cimbrici in Tabulis Sigillorum ad an. 1442